

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes**

**Livius, Titus**

**Mannhemii, 1779**

Epitome libri primi

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1233](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-1233)

EPITOME  
LIBRI PRIMI LIVIANI.

*ADVENTUS Æneæ in Italiam, & res ab eo gestæ; Ascanii regnum Albæ, & Silvii Æneæ, ac deinceps Silviorum regum primo libro continentur. Numitoris filia a Marte compressa; nati Romulus & Remus. Amulius obtruncatus. Urbs a Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima spolia Jovi Feretrio lata. In curias populus divisus, Fidenates & Veientes vieti. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit: Jano templum constituit: ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit: cum Dea Egeria sibi congressus nocturnos esse simulans, seroces populi animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Post haec trigeminorum pugna. Horatius absoluatus. Metti Fufetii supplicium. Alba diruta; Albani in civitatem recepti. Sa-*

*Tom. I.*

A

binis bellum indicium. Ad postremum fulmine Tullus absuntus est. Ancus Marcius ceremonias a Numa institutas renovavit: Latinis viciis & ad civitatem adscitis montem Aventinum adsignavit: Politorium, urbem Latinorum, bello repetitam, quam prisci Latini occupaverant, diruit: pontem sublicium in Tiberim fecit: Janiculum collem Urbi addidit: fines imperii protulit: Ostiam condidit. Regnavit annos viginti quatuor. Eo regnante Lucumo, Damarati Corinthii filius, a Tarquiniiis, Etruriæ civitate, Romam venit; &, in amicitiam Anci receptus, Tarquinii nomen ferre cœpit; & post mortem Anci regnum exceptit. Centum additis, Patrum numerum auxit: Latinos subegit, circum designavit, ludos edidit: Sabinorum bello petitus equitum centurias ampliavit. Tentandæ scientiæ cauſa Atti Navii auguris, consuluisse fertur, an id, de quo cogitaret, effici posset: quod quum ille fieri posse respondisset, jussisse,

## E P I T O M E      3

eum novacula cotem præcidere ; idque pro-  
tinus ab Atto factum. Sabinos præterea  
acie vicit : urbem muro circumdedidit : cloacas  
fecit. Occisus est ab Anci filiis , quum  
regnasset annos triginta octo. Successit ei  
Ser. Tullius , natus ex captiva nobili Cor-  
niculana ; cui puero , adhuc in cunis po-  
sito , caput arsisse traditum est. Is Veientes  
atque Etruscos prælio fudit : Censum pri-  
mus egit : Lustrum condidit , quo civium  
capita censa octoginta millia esse dicuntur :  
classes centuriasque descripsit : pomærium  
protulit : colles Urbi , Quirinalem , Vimi-  
nalem , Esquilinumque adjecit : templum  
Dianæ cum Latinis in Aventino fecit. In-  
erfectus est a L. Tarquinio , Prisci filio ,  
consilio filiæ suæ Tulliæ , quum regnasset  
annos quadraginta quatuor. Post hunc  
L. Tarquinius Superbus , neque Patrum ,  
neque populi jussu , regnum invasit : quo  
die scelerata Tullia per patris jacantis cor-  
pus carpentum egit. Armatos circa se ad  
custodiam corporis sui habuit : Turnum Her-  
donium fraude interemit : bellum cum Volf-

4 E P I T O M E

cis gessit; & ex eorum præda templum Jovi  
in Capitolio fecit. Terminus & Juventas  
non addixere, quorum aræ moveri non  
potuerunt. Filii Sex. Tarquinii dolo Ga-  
bios in potestatem suam redigit. Hujus filiis  
Delphos profectis, & consulentibus, quis  
eorum regnaturus esset Romæ, dictum est,  
eum regnaturum, qui primus matrem oscu-  
latus esset. Quod responsum quum ipsi ali-  
ter interpretarentur, Junius Brutus, qui  
cum iis profectus erat, prolapsum se simu-  
lavit, & terram osculatus est: idque factum  
ejus eventus rei comprobavit. Nam quum,  
inpotenter se gerendo, Tarquinius Superbus  
omnes in odium sui adduxisset; ad ulti-  
mum, propter expugnatam nocturna vi a  
Sexto filio ejus Lucretiæ pudicitiam (quaæ,  
vocato patre ad se Tricipitino & viro Colla-  
tino, obtestata, ne inulta mors ejus esset,  
cultro se interemit) Brutus opera maxime  
expulsus est, quum regnasset annos viginti  
quinque. Tunc consules primum creati  
sunt L. Junius Brutus & L. Tarquinius  
Collatinus.